



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Distinctio Undecima. De Sacramento Extremæ Uctionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

ctione, circa finem, præsens Conclusio approbatur, simulque generalis modus Satisfactionis Sacramentalis imponendæ, affligatur sequentibus verbis plurimum ponderandis. Igitur univ-
erse Satisfactionis modum, culpa ratio temperabit. Sed ex omni Satisfac-
tionum genere maximè convenit pœnitentibus præcipere, ut certis aliquot
& definitis diebus orationi vacent, ac pro omnibus, & præsertim pro ijs,
qui ex hac vita in Domino decesserunt, preces DEO faciant. Hortari ve-
rò etiam eos oportet, ut sæpe eadem Satisfactionis opera à Sacerdote indicta,
ultrò suscipiant, ac repetant.

talis, jux-
ta Cate-
chismum
Romanum.

DISTINCTIO XI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

QUÆSTIO I.

Quæ sit Materia, & Forma Sacramenti Extremæ Unctionis ?

1. **E**xtrema Unctio est ultimum ex illis Sacramentis, quæ vi-
tam spiritualem cujuslibet Fidelis quoad se promovent :
simulque non modò Pœnitentia, sed & totius Christianæ vita,
quæ perpetua Pœnitentia esse debet, consummativum existimatum est à Patri-
bus, uti loquitur Concilium Tridentinum Sess. 14. in Doctrina de
Extrema Unctione. Et quia nonnisi in mortis articulo recipi po-
test, hinc & Sacramentum exuentium nuncupatur, juxta citatum
Concilium cap. 3. De quo loquendo sit

Extrema
Unctio est
Pœnitentiæ
consumma-
tivum.

Et Sacra-
mentum ex-
uentium.
Est verum
novæ Legis
Sacramen-
tum.

A Christo
institutum.

2. **CONCL. I.** De Fide certum est, Extremam Unctionem
esse verum, & propriè dictum Sacramentum novæ Legis, à Chri-
sto Domino institutum. Ita præter perpetuum sensum Ecclesiæ
Catholicæ, docet Concilium tum Florentinum in Decreto Unio-
nis, tum Tridentinum Sess. 14. De Extrema Unctione, cap. 1. ubi sic
loquitur : Instituta est autem sacra hæc Unctio infirmorum, tanquam ve-
rè & propriè Sacramentum novi Testamenti, a Christo Domino nostro. apud
Marcum quidem (cap. 6.) insinuatam, per Jacobum autem Apostolum,
ac Domini fratrem, Fidelibus commendatam, ac promulgatam. (Jaco-
bi 5.) Infirmatur, inquit, quis in vobis ? inducat Presbyteros Ecclesiæ,
& orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini : & oratio fidei

§ § § § §

salva.

salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei. Et ibidem *can. 1.* sic definit Concilium contra Hæreticos: Si quis dixerit, Extremam Unctionem non esse verè, & proprie Sacramentum à Christo Domino institutum, & à Beato Jacobo Apostolo promulgatum, &c. Anathema sit.

Extrema
Unctio,
quid?

3. CONCL. II. Sacramentum Extremæ Unctionis, est Unctio hominis infirmi pœnitentis, facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à Sacerdote, simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione Divina efficaciter significans curationem finalem venialium. Ita Doctor Subtilis 4. *dist. 23. q. un.* per hæc verba aptè declarans naturam hujus Sacramenti quoad singulas partes; prout ex progressu patèbit.

Materia
ejus remota,
& proxima,
quæ?

4. CONCL. III. Materia remota Extremæ Unctionis, est Oleum olivarum ab Episcopo benedictum: Proxima verò, est ipsamet Unctio facta hoc oleo. Ita certa, & communis; & constat tum ex Concilio Florentino *loc. cit.* ubi ait, quòd Extremæ Unctionis materia est oleum olivæ per Episcopum benedictum. Et Tridentino *cit. cap. 1.* ibi: Intellexit enim Ecclesia, materiam (Extremæ Unctionis) esse oleum ab Episcopo benedictum. Tum ex illis verbis Apostoli Jacobi: Ungentes eum oleo in nomine Domini.

Oleum,
quale esse
debeat?

5. Ex quibus sequitur I. Oleum istud debere esse simplex, ac sine admixtione alterius liquoris: quale est oleum olivarum commune, ac usuale, eò quòd tale absolutè dicatur oleum.

Quid, si ei
sit admix-
tum balsa-
mum?

6. Quòd si huic oleo admisceatur balsamum (prout fit in confectione Chrysmatis) tenent equidem nonnulli Doctores, per hoc impediri validitatem hujus Sacramenti: probabilius tamen est, oleum etiam balsamo mixtum esse validam materiam hujus Sacramenti; prout docent Suarez *part. 3. tom. 4. disp. 40. sect. 1.* Poncius, Mastrius, aliique plures. Ratio est: quia mixtio balsami, cum sit modica (uti supponitur, ac fieri solet in confectione Chrysmatis) non destruit naturam olei; ergo in substantia remanebit verum oleum ab Episcopo benedictum. Elicet extra casum necessitatis, ob admixtionem balsami, eo uti non liceat; si tamen per errorem, aut aliàs adhibeatur, Sacramentum validè administrabitur.

Oleum illud
debet esse
benedictum
ab Episcopo.

7. Sequitur II. Oleum hoc debere ab Episcopo esse benedictum, prout expressè docet Concilium tum Florentinum, tum Tridentinum *loc. cit.* Et quidem communior Doctorum sententia vult, quòd benedictio Episcopi essentialiter requiratur ad
valo;

valorem Sacramenti Extremæ Unctionis, ita ut adhibito oleo non benedicto ab Episcopo, nullum fiat Sacramentum.

8. CONCL. IV. Forma Sacramenti Extremæ Unctionis est solemnitas illa precatio, quam Sacerdos ad singulas unctiones adhibet, cum ait: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per visum (auditum, odoratum, &c.) deliquisti.* Ita Concilium Florentinum loc. cit. unâ cum Concilio Tridentino, ac Rituali Romano Pauli V. Et quamvis hæc forma, sub his ipsis verbis præcisè non habeatur ex S. Scriptura, constat tamen tum ex traditione Ecclesiæ, tum insinuatur ab Apollolo Jacobo cap. 5: ubi ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Nam ly, *orent super eum*, factis indicat, formam hujus Sacramenti debere esse deprecatoriam.

9. CONCL. V. In septem corporis partibus infirmus communiter est unguendus; nimirum in oculis, propter visum; in auribus, propter auditum; in naribus, propter odoratum; in ore, propter gustum, & locutionem; in manibus, propter tactum; in pedibus, propter gressum; & in renibus, propter delectationem ibidem vigentem. Ita expressè Concilium Florentinum, ac Rituali Romano Pauli V.

10. Dicitur, *communiter est inungendus.* Siquidem circa hoc notat citatum Rituali Romano, quamvis præter illas corporis partes, quas veluti instrumenta homini natura tribuit, nempe oculos, aures, nares, os, & manus, etiam pedes ac renes unguendi sint; attamen renum unctionem in mulieribus, honestatis gratiâ, semper omitti (notandum ly, *semper*) atque etiam in viris, quando infirmus commodè moveri non potest: neque tunc sive in mulieribus, sive in viris, aliam corporis partem pro renibus unguendam esse.

11. Notat ulterius idem Rituali Romano, si quis aliquo dictorum membro mutilatus exiit, v. g. careat manu, vel pede, quòd pars illi loco proxima sit inungenda, servatâ eadem verborum formâ.

12. Notat tertio idem Rituali, quòd manus, quæ reliquis infirmis interiori ungi debent, Presbyteris exteriori ungantur. Rationem hujus assignant Doctores: quia Sacerdos in sua Ordinatione jam fuit unctus Oleo sacro in parte interiori manuum, id est, in palmis; ac ob id congruum magis censetur, ut postea in exteriori potius manuum parte inungatur, quam in interiori.


Forma Sacramenti Extremæ Unctionis, quæ?

In quibus corporis partibus fit facienda unctio?

Renum unctio in feminis semper omittenda; & quando in viris?

Quid, si quis careat manu, pede, &c.

Manus Presbyteris quomodo unguenda?



ri. Cæterum loquendo de valore Sacramenti, nihil refert, Sacerdotem etiam in ipsis palmis inungi; cum hæc Unctio sit diversa ab illa, quam accepit in Ordinatione sua. Est tamen hac in re standum consuetudini cujuslibet Diocesis, ac præsertim ordinationi Ritualis Romani.

An in casu
necessitatis
sufficiat u-
nica unctio:

13. CONCL. VI. Quamvis multi Doctores velint, ad validitatem hujus Sacramenti necessarias esse ad minimum quinque unctiones in quinque corporis sensibus, cum quinque partialibus formis, quæ correspondent singulis unctionibus: probabile tamen est, in casu necessitatis unicum sufficere unctionem, in quacunque corporis parte fiat, cum unica tantum forma, omnes tamen corporis sensus exprimente, taliter: *Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam Misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, &c.* Ita Mastrius *disp. 22. Theol. Mor. n. 38.* post Suarezium, Coninch, Layman, Poncium, aliosque. Ratio est: quia per unius organi unctionem, factam cum expressione quinque sensuum corporis infirmi, salvatur totum id, quod ad hoc Sacramentum requiritur à S. Jacobo Apostolo; simulque illa unica unctio sufficienter significat effectum hujus Sacramenti: ergo etiam sufficit ad valorem ejus.

Solvitur
instantia.

14. Nec obstat Concilium Florentinum, ac Rituale Romanum, quæ exigunt septem, vel saltem quinque præcipuarum partium unctiones. Nam hæc loquuntur de eo, quod fieri debet extra casum necessitatis: non autem per hoc intendunt definire, omnium harum partium unctionem essentialiter requiri ad valorem Sacramenti.

Praxis qua-
rundam
Diocesium
tempore pe-
stis.

15. Unde hæc sententia non solum à tota Universitate Lovaniensi approbata fuit, ut refert Diana *part. 3. tract. 4. resolut. 168.* sed etiam præscripta in diversis Ritualibus Diocesanis, ut Mechlinensi, & Passaviensi, pro tempore pestis grassantis, nec non & in Rituali Diocesano Trisingensi ubi *cap. 6. De Sacramento Extreme Unctionis, memb. 1.* circa finem, sic habetur: *In morbis contagiosis, & peste grassante, ut periculum vitetur, sufficit inungi sensus organum magis ad Unctionem expositum, ac detectum, dicendo: Per istam sanctam Unctionem, & suam piissimam Misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum, tactum, lumbos (si inungendi fuerint) & gressum. Et tum preces, quæ præmittenda, & subjungenda forent, poterunt privatim dici.*

QUÆ.

Q U Æ S T I O II.

De Effectibus, Subjecto, & Iterabilitate Sacramenti Extremæ Unctionis.

16. **E**ffectus Sacramenti Extremæ Unctionis paucis verbis à S. Jacobo in sua Canonica, cap. 5. sequentibus verbis indicantur : *Et oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Hinc fit

17. **CONCL. I.** Ultra gratiam habitualem, seu sanctificationem, quæ ex opere operato causatur ab omnibus Sacramentis novæ Legis, specialis effectus Sacramenti Extremæ Unctionis est remissio peccatorum. Patet hoc ex citatis verbis Apostoli Jacobi: *Et si in peccatis sit, dimittentur ei.* Super quæ verba Concilium Trid. loc. cit. c. 2. explicans rem, seu effectum hujus Sacramenti, sic ait: *Res etenim hac gratia est Spiritus sancti, cujus Unctio delicta, si qua sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit.*

18. Porro effectus iste remissionis peccatorum, intelligendus imprimis est de peccatis venialibus, quæ si homini per alia Sacramenta, ac remedia, seu opera bona, remissa necdum sunt, virtute hujus Sacramenti remittuntur, si cæteroquin homo sic dispositus. Intelligendus deinde est de remissione poenarum peccatis debitarum non quidem semper omnium, sed plurimum vel pauciorum, juxta dispositionem suscipientis. Quinimò per accidens fieri potest, ut etiam primam gratiam conferat Sacramentum istud & peccatum mortale remittat, homini bonâ fide existimanti, se esse in statu gratiæ, illudque cum sola attritione suscipienti; prout jam supra (a) dictum est.

19. **CONCL. II.** Secundus hujus Sacramenti effectus est, alleviare infirmum, juxta citatum illud D. Jacobi: *Et alleviabit eum Dominus.* Dicitur autem hoc Sacramentum alleviare infirmum, in quantum (ut ait Concilium Trident. Sess. 14. cap. 2.) *egroti animam alleviat, & confirmat, magnam in eo Divina Misericordia fiduciam excitando, quæ infirmus sublevatus, & morbi incommoda ac labores levius fert, & tentationibus demonis, calcaneo insidiantis, facilius resistit.*

20. Huc reduci potest alius effectus hujus Sacramenti, ibidem à Concilio Tridentino, & communi Theologorum assignatus, qui est *peccatorum reliquias abstergere.* Ubi per *peccatorum reliquias* intelligitur animi languor, torpor, mæror, tristitia, fastidium, *quæ?*

Effectus Sacramenti Extremæ Unctionis.

I. Præter gratiam sanctificantem, remissio peccatorum.

Effectus remissionis peccatorum, quomodo intelligendus?

(a) Tr. 14. Dist. 2. n. 23. & 24.

II. Alleviatio infirmi & quomodo?

Peccatorum reliquias, quas abstergit hoc Sacramentum, quæ?

§ § § § § ;

dium, & anxietas, & alia huiusmodi prava affectiones, quae ex peccatis praeteritis, eorumque recordatione oriri solent, ac peccatorem in desperationem inducere; in ordine ad quas removens proinde plurimum conducit digna huius Sacramenti susceptio.

Hi. Libera-
tio ab infir-
mitate cor-
porali qua-
do expedit
&c.

21. CONCL. III. Tertius Extremæ Uctionis effectus est, liberare infirmum ab infirmitate sua corporali, ubi saluti animæ id expedierit; juxta illud cit. Apostoli: *Et oratio fidei salvabit infirmum.* Hunc tamen effectum sanitatis corporalis non semper, ac infallibiliter præstat hoc Sacramentum, ut patet; sed tunc solum, ubi saluti animæ infirmi expedierit: prout notat Concilium Trid: *loc. cit. cap. 2.* dicens, quod infirmus virtute huius Sacramenti *sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur.* Et ratio est: quia Sacramenta nullum ex Christi institutione conferunt effectum, nisi in ordine ad spiritualem animæ profectum, ac vitam æternam consequendam.

Subiectum
Extremæ
Uctionis
capax
quod?

22. CONCL. IV. Subiectum capax Extremæ Uctionis est: solus homo baptizatus, rationis compos, & periculose infirmus: ita quod probabiliter mors imminet. Ita communis; & patet: cum ex citatis S. Jacobi verbis: *Infirmatur quis in vobis?* Tum ex Concilio Trident: *loc. cit. cap. 3.* ubi ait: *Declaratur etiam, esse hanc Uctionem infirmis adhibendam, illis verò praesertim, qui tam periculose decumbunt, ut in exitu vite constituti videantur; unde & Sacramentum exentium nuncupatur.*

Nequit mi-
nistrari sa-
nis, etiam
damnatis ad
mortem.

23. Infertur proinde cum communi, non posse hoc Sacramentum ministrari sanis; neque ijs, qui sunt constituti in mortis articulo ob extrinsecam duntaxat violentiam, v. g. damnatis ad mortem, hominibus in naufragio constitutis, militibus ad prælium ituris, & huiusmodi. Ratio est: quia ex Christi institutione solus homo infirmus est capax huius Sacramenti: tales autem homines non sunt infirmi, ut patet:

Quid de pe-
sæ laboran-
tibus, vul-
neratis, &
senibus,

24. Aliud est dicendum de eo, qui pestem contraxit, qui venenum vel vulnus lethale accepit, &c. propter quod est in periculo mortis. Talis enim post ejusmodi casum verè jam ægrotat, licet causa istius ægritudinis fuerit extrinseca, & violenta: atque ideo communiter huiusmodi homines censentur esse capaces Extremæ Uctionis. Idem dicendum de eo, qui ob nimiam senectutem deficientibus viribus est constitutus in periculo mortis: etenim & ille verè infirmatur; nam, ut habet vulgatum illud, *Senectus ipsa est morbus.*

25. Inferitur ulterius, quod infantibus, ac etiam illis, qui ^{Infantibus, ac perpetuo amentibus?} perpetuo amentes fuerunt, Extrema Unctio ministranda non sit; uti notat Scotus 4. dist. 23. §. De secunda, cum communi. Ratio est: quia tales non possunt esse poenitentes, id est, non sunt capaces Sacramenti Poenitentiae; ergo neque Extremæ Unctionis, eo quod hoc Sacramentum illius consummativum, sive complementum existimeretur, ut loquitur Concilium Trid. num. 1. re-lacum.

26. Loquendo tamen de adultis, & qui rationis usum ha- ^{Vel adultis lapsis in phrenesin, aut amentiam?} buerunt, tamen si deceat, idque curandum sit, ut hoc Sacramen- tum conferatur infirmis, dum adhuc rationis compotes sunt (sic enim majori cum reverentiâ suscipietur) attamen non de- bet denegari morituris, in phrenesin, aut amentiam lapsis, sed est eisdem dandum, dummodò antea Christianè vixerint, atque salutis suæ memores fuerint: quod quidem præsumendum est, nisi de contrario constet. Layman ^{cap. 4. num. 3. & commu-} nis.

27. Nec obstat, quod loquendo de Sacramento Poeniten- ^{Disparitas inter Sacramentum Poenitentiae & Extremæ Unctionis.} tiæ (b) Doctores vel oppositum teneant, vel dubitent, an in tali casu sit conferendum illud Sacramentum etiam sub conditione. Resp. enim, disparitatem esse: quia ad Sacramentum Poeniten- tiæ, quod à Christo Domino institutum fuit per modum Judicij, requiritur Confessio sensibilis, qualem tunc adesse dubitatur: (b) De hac autem non requiritur ad Extremam Unctionem. ^{hoc videatur supra}

28. Quinimò ad conferendum Sacramentum Extremæ ^{tur supra} Unctionis non est expectandum, donec infirmus omni prorsus ^{Dist. 7. Q. 4. per totum.} sensu careat, aut penitus sit desperata salus ejus; sed sufficit, quod infirmus iudicio Medicorum, aut peritorum, periclitetur de vita, sive probabile periculum subsit, ne si diutius differatur ^{In quo periculo & statu infirmi, hoc Sacramentum ministrandum?} istud Sacramentum, mors vel defectio sensuum subito superveniat. Expedi enim, ut ab infirmo periculosè ægrotante hoc Sacramentum (si fieri potest) dum adhuc viget integra mens & ratio, recipiatur, sicque is ad uberiores illius fructum, gratiamque percipiendam, suâ fide, piâque animi voluntate, sese disponere valeat. Herincx ^{disp. 11. de Extrema Unctione, quest. 5. num. 41. post Catechismum Romanum. Barbofa de offic. Paro-} chi, cap. 22. n. 19. Layman n. 4. & alij.

29. CONCL. V. Quamvis hoc Sacramentum simpliciter ^{Sacramen- tum hoc est iterabile; &} sit iterabile, si nimirum homo in pluribus morbis cum probabili ^{iterabile; &} vitæ periculo successivè sit constitutus; nihilominus durante ^{eâdem}

an in eodē
morbo?

eādē necessitate, statūque morbi, Sacramentum istud itera-
ri non potest: quòd si tamen variatur morbi status, & infirmus,
postquam reconvaluisse videbatur, denuò in periculum mortis
incidat, iterum conferri poterit. Ita certa, & communis Do-
ctorum, atque habetur in Concilio Trid. *loc. cit. cap. 3.* Accedit
ratio: quia hoc Sacramentum non imprimit Characterem; er-
go est iterabile, superveniente tamen novo vitæ discrimine.

Declaratur
hoc ampli-
us.

30. Porrò illa temporis distantia, morbi que varietas, pru-
denti iudicio relinquatur designanda; ita tamen, ut considerata
diuturnitate ægritudinis, ac variatione statūs eius, censetur es-
se novus morbus (id est, constituens hominem in novo mortis
periculo) ut proinde nova necessitas: & sic primùm poterit ite-
rari Sacramentum istud.

Sacramen-
tum hoc, an
sit necessa-
rium ad
salutem?

31. Possèt hìc ulterius quæri de necessitate huius Sacramen-
ti ad salutem. Verùm de hoc iam dictum fuit suprà *Dist. 2. n. 68. &*
seqq. Quamvis enim Fideles ad receptionem Extremæ Unctionis
nullâ præcepti districtione, per se loquendo, teneantur; tamen (ut
loquitur Concilium Trid. *cit. cap. 3.*) *neo tanti Sacramenti contemptus*
absque ingenti scelere, & ipsius Spiritūs sancti injurià esse possèt.

DISTINCTIO XII.

De Sacramento Ordinis.

QUÆSTIO I.

Quid, & quot sint Ordines? Ubi & de prima Tonſura.

Ratio ordi-
nis inter
Sacramēta.

1. **A**bsolutis Sacramentis, quæ vitam spiritualem cuiuslibet
Fidelis quoad se promovent, receptâ Theologorum
methodo tractatur de Sacramentis illis novæ Legis, quæ
respiciunt totam Communitatem Populi Christiani: qualia sunt
Sacramentum Ordinis, & Matrimonij. Siquidem mediante illo
in Ecclesia Catholica constituuntur legitimi Sacerdotes, ac Mini-
stri Ecclesiastici, qui præ sint ac legitime gubernare noverint to-
rum Populum Christianum. Post quod sequitur Sacramentum
Matrimonij, quo generis humani propagatio ad conservationem
Reipublicæ Christianæ requisita perennatur, atque ut honestè
ac decenter fiat, specialibus gratijs & auxilijs Divinis roboratur.
Et quidem loquendo nunc de Sacramento Ordinis.

2. Ad-